

455

453

459

449

464

444

504

404

554

354

Ende

Anfang

444

libris: ipse enim Romanos humiliavit in tantum, ut deos consulenter, quid eis faciendum foret, ut eum extra terminos eorum ire ficerent, et accepto responso, si mater deorum Pessinunte Romam adducta fuerit, Hannibalem manere non posse miserunt ergo Romani classem in Phrygiam Asiae ad silvam Ideam prope Trojam, in qua stabat grandis statua lapidea, foeminae formam habens, quae dicebatur mater deorum, et eam tulerunt per mare Romam, et sic Hannibal abscessit. De hoc vide supra Fol. 80. De hoc Hannibale dicitur, quod numquam sine bellis cubans coenaverit, unde quadam vice in Campania tot Romanos prostravit, ut tres annulorum aureorum modios, quos e Romanorum militum manibus extraxerat, Carthaginem mitteret. Dicitur etiam de eo, quod numquam inter innumeratas captivas mirae pulchritudinis pueras castitatem perdiderit et quod numquam insidiis suorum aut etiam inimicorum proditus fuerit. Tandem, cum videret se capiendum a Romanis, gustato veneno animam expulit et Romanorum se vinculis morte liberavit, cuius tamen perpetua memoria est maxime propter Alpium penetrationem primam, quas cum uno loco aperuissest, caeteri in aliis locis penetraverunt et vias per rupes fecerunt. Sed inter omnes aevo nostro archidux Austriae Sigismundus veram artem reperit pervios faciendi montes non solum hominibus et equis, sed curribus onerariis vias fecit per abruptissimas petras, igne, sulphure, ferro dividens, scindens, removens ingentes moles in pluribus Alpium locis, easque ita pervias fecit, ut ubi ante quatuor annos vix cum formidine homo transire audiebat, jam vehiculis et curribus oneratis sine omni periculo sit transitus. De quo etiam dixi P. 1. Fol. 27.

Die decima prima ante lucem cibum sumsimus, ut, quia breves dies erant, usque ad vesperas sine pausa iter faceremus, et cibo sumto a Caniano recessimus et per vallem tenebrosam ac angustam, altissimis Alpibus conclusam, Alpes ingressi sumus et ascensu vallis continuato per viam glaciosam in oppidum dictum Seravallis venimus. Ab effectu autem hoc oppidum nomen accepit, quia claudit vallem, et non est possibile declinare ad dextram aut ad sinistram, nisi per portam oppidi, quod munitum est fortalitiis et muris, ut sit sera vallis. Hoc oppidum vulgares nostri nominant Sperval. Pertransito oppido vallem consequenter adscendimus, in qua multae villae et habitationes sunt, quia fertilis est,

